

DE LEGA-
TIONIBVS CAPITV

LA TRIA D. CONRADI BRV-
ni Iuriconsulti, Excerpta è Li-
bro eius Secundo. Cap.

IX. X. Et

XI.

Magenticis.

- I. De iustitia Legatorum.
- II. De fortitudine & con-
stantia Legatorum.
- III. De continentia Legato-
torum.

M. D. XLVIII.

APVD S. VICTOREM MO-
guntie per Franciscum Behem
Typographum.

REVEREN
DISSIMO IN CHRI
STO PATRI, ATQVE PIISSI
mo Principi ac Domino, Domino IOHANA
NI à Malitz, Episcopo Misnensi. Domino
suo Gratioso ac Hereditario.

S. P. D.



Eucrendissime in Christo Pater,
Præsul & Princeps ornatissime.
Quum acquisserit mihi precio-
sissimum recens elucubrationum,
& antea nunquam editorum uo-
luminum thesaurū, officioso labore ac studio suo,
pius & erga me multum beneficus, affinis meus,
D. Iohannes Cochleus: artium ac sacre Theolo-
gie Magisterio insignitus: uisum est mihi admo-
dum & æquum & honestum, ut præ omnibus
alijs Patronis ac Benefactoribus meis, R. D.
tue, tanquam Hereditario Domino meo, Primi-
tias future in lucem editionis istius thesauri, scæ-
lici (ut spero) auspicio dedicem. Quandoquidem
primam mortalis huius uite lucem, natus in hunc
mundum. Dipoldi, in Misnensis provincie op-
pido (quod paterno ac hereditario iure ad tuam
& Nobilis atq; inelyti uiri HENRICI à Mal

A 2 titz

EPISTOLA

titz fratris tui Iurisdictionē hereditatemq; per-
tinet) accepi. Quare suppliciter oro, ut R. D. tua
clementer & gratiose in bonam partem accipi-
at hanc meam deuotionem & operam, quam na-
tuo iure ac desiderio in R. D. tuæ nomen & me-
moriā impendo, ut ex celebri nomine & am-
plissima dignitate tua, & patria mea (quæ te
quoq; genuit mibiq; hereditatis iure Dominum
constituit) honorem recipiat, & ego multis hac
editione notum faciam, atq; etiam apud posteros
confestus, qualem mihi Deus & natura Dominū
dederint, quem ingenito amore ac reuerentia
prosequi in perpetuū desidero. Nec dubito, hanc
deuotionem et animi gratitudinem erga te meam
non ingratiā fore ipsi Autori, Clariss. & Do-
ctiss. uiro, D. CONRADO BRUNO, I.
V. Doctori, Cancellario Landeshutensi, qui non
uulgari amore ac amicitia R. D. tuæ iunctus ac
familiariter notus est. Accedit & ea ratio, quod
hoc in libello pulchra fit mentio de sacris quoq;
Legationibus. De quibus Apostolus ad Corin-
thios. Pro Christo (inquit) Legatione fungimur,
tanquam Deo exhortante per nos, Obsecramus
pro Christo, reconciliamini Deo. Huiusmodi au-
tem Legatione funguntur in Ecclesia præcipuè
Episcopi, quorum summus est sacerdotij gradus.

Quare

DEDICATORIA.

Quare præ alijs omnibus merito dedicatur libel-
lus iste Amplissimæ Dignitati tuæ, Totum namq;
opus Quinque Librorum de Legationibus, ob
temporis breuitatem nunc ad nos potuit, prop-
ter instantem Francfordiæ in hac Quadragesima
mercaturam. Bene ualeat R. D. tua Pijssime Præsul
& Princeps. Ex officina mea Die IX.

Martij. Anno Domini M. D.

XLVIII.

R. D. T.

Perpetuò deuotus & ad-
dictus

Franciscus Behem
Typographus.

A 3

ARGVMENTVM
SVMMARIVM. D. CONRADI
Bruni de Legationibus
Libri Quinq̃.

- I. De personis eorum qui mittunt Legatos, deq̃ mandatis & rebus Legationum.
- II. De personis eorum, qui Legati mittuntur, de scientia item & uirtutibus Legatorum.
- III. De officijs Legatorum.
- IIII. De Priuilegijs & immunitatibus Legatorum.
- V. De personis eorum, ad quos mittuntur Legati, & de officio eorum in suscipiendis & mittendisq̃ Legationibus.

CAPITA PRIMI
LIBRI.

- I. Sermonem hominibus humanæ

ARGVMENTVM.

manæ societatis conseruandæ causa datum esse. Deq̃ uario tam inter præsentis quam absentes sermonis usu.

II. Non omnia tuto per literas & scripta, sed quedam per fidos homines cōmodius transigi inter absentes.

III. Varia esse genera personarum, quarū ministerio absentes cum absentibus utimur.

IIII. Quid sit Legatio.

V. Legationem sine missione & mandatis esse non posse.

VI. De qualitate & conditione personarum, quæ Legationes mittunt.

VII. Sorte ne an electione, & quo ordine dādi sint Legati.

A iiij De

ARGUMENTVM.

VIII. De mandatis Legatorum.

IX. De duobus generibus Mandatorum, quæ Legatis dantur.

X. Mandata Legatorum, literis tantum, non etiam testibus probari.

XI. De mandatis, instructionibus, literis commendaticijs, & ijs quas uocant Credentiæ.

XII. De occultis mandatis.

XIII. Quarum rerum sit Legatio.

XIIII. De Legatione libera.

CAPITA LIBRI II.

I. De personis eorū qui mittuntur, quos Legatos & oratores uocamus. Et de uarijs generibus eorum.

Quæ

ARGUMENTVM.

II. Quæ personæ Legationibus, & quibus ex causis fungi non possunt.

III. De personis, quas propter statum et conditionem, non quidem in totum, sed à certis personis ad certas & in rebus certis, Legationibus fungi non conuenit.

IIII. De scientia Legatorū.

V. De prudentia, et ad res agendas industria, solertia & sagacitate Legatorum.

VI. De experientia Legatorum, senioresq; iunioribus in Legationibus esse præferēdos.

VII. De eloquentia Legatorum.

VIII. De interpretibus Legatorum.

A v De

ARGUMENTVM.

- IX. De iustitia Legatorum.
X. De fortitudine & constantia Legatorum.
XI. De continentia Legatorum.
XII. De modestia Legatorum.
XIII. De gratia Legatorum.
XIIII. Multi ne an pauci, & quot numero Legati super una re mittendi sint.
XV. De comitibus Legatorum.
CAPITA LIBRI III.
I. De officio Legatorum à sua ipsorum persona sumpto.
II. De officio à Legatis reddendo ijs à quibus mittuntur.
III. De officio Legatorum ijs ad quos mittuntur prestanda.
IIII. Ad officium Legati pertinere

ARGUMENTVM.

- tinere, ut mandata diligenter bonaq; fide conficiat.
V. De officio Legatorum quibus iurisdictio mandata est.
VI. De officio Legatorum in his quæ ad cognitionem rerum sacrarum pertinent.
VII. De officio Legatorum, quæ à prophana iurisdictione ducuntur.
VIII. De officio Legatorum bellicorum, quod in earum rerum cognitione uersatur, quæ ante bellum geruntur.
IX. De iurisdictione, quam Legati bellici, in ipsa belli administratione & post bellum confectum exercent.
X. De foederibus & pace.
XI. De officio Legatorum
iii

ARGVMENTVM.

in paciscendis fœderibus & faci-
cienda pace.

XII. De officio Legatorum
in consultando.

XIII. De officio Legatorum
in his quæ ad meram executionem
pertinent, ac inibi de uarijs
cæremonijs & ritibus indi-
cendorum bellorum, ac percu-
tiendorum fœderum.

XIII. De matrimonijs & spon-
salibus, quæ per Legatos con-
trahuntur.

XV. Quo ordine & proces-
su Legationes rite administren-
tur.

CAPITA LIBRI IIII.

I. De iure non uiolando-
rum Legatorum.

II. De pœnis eorum, qui
Legatos

ARGVMENTVM.

Legatos contra ius gentium
uiolant.

III. Iniuriam Legatis con-
tra ius gentium illatam, etiam
ij qui eos mittunt, uindicare de-
bent.

III. Ius non uiolandum
Legatorum, ijs tantum seruan-
dum esse, qui honestè in Lega-
tione uersantur.

V. De immunitatibus Le-
gatorum.

VI. Legati an munera ab
ijs ad quos mittuntur, accipere
possint.

VII. De salarijs Legatorũ.

CAPITA LIBRI V.

I. De personis eorum ad
quos mittuntur Legati, deq; ea-
rum conditione & qualitate.

De

ARGVMENTVM.

II. De eorum, ad quos mittuntur Legati, circa Legationes autoritate.

III. De concilijs publicis & uarijs generibus eorum,

IIII. De personis conciliorum tam sacrorum quam profanorum.

V. De autoritate conciliorum.

VI. De admissione Legatorum, & quomodo ab ijs ad quos mittuntur, excipiendi sint & tractandi.

VII. De dando Legatis consilio & audientia, deq; loco & tempore ipsorum.

VIII. De uocatione Legatorum in concilium, & de sessione ipsorum.

De

ARGVMENTVM.

IX. De ritu & ordine audiendarum Legationū, ac primum de audiendis postulatis Legatorum.

X. De rogandis sententijs audiendisq; suffragijs Legatorum in concilijs publicis.

XI. De dimittendis Legationibus.

XII. De his qui cognitionem postulatorum & controuersiarum ad alios reijciunt.

XIII. De postulatis Legatorum & uarijs generibus Responsorum.

XIIII. Oportere eos, ad quos Legationes mittuntur, in dandis responsis iustitiæ dignitatisq; suæ rationem habere.

XV. De forma responsorum.

De

ARGVMENTVM.

XVI. De decretis publico-
rum conciliorum.

XVII. De subsignationibus
atq; subscriptionibus Decreto-
rum.

XVIII. Quæ sint presidenti-
um partes, si maioris partis sen-
tentia, contra minorē, sed ean-
dem tamen potiorem & sanio-
reni, præualuerit: aut minor
pars maioris partis Legitimo
decreto parere noluerit.

XIX. De decretis eorum, qui
de rebus ad concilium delatis,
foli decernendi definiendiq; po-
restatem habent.

XX. De profectioe Lega-
torum.

XXI. Quales in accipiendis
muneribus & honoribus esse
debeant

ARGVMENTVM.

debeant ij ad quos mittuntur
Legati.

XXII. De renunciatione Le-
gationum.

Summa omnium capitu-
lorum 73.

AUTHOR
RES, QVIBVS IN

HIS LIBRIS DE LEGA-
tionibus usi su-
mus.

THEOLOGI. Leo Pontifex.
Origenes. Gregorius Papa.
Ioan. Chryosto. Bernhardus.
Grego. Nazian. Io: Gerson.
Cyprianus. PHILOSOPHI.
Hieronymus. Plato.
Augustinus.] Aristoteles.
B Xenof

Xenophon.	Anton. Corseti.
Cicero.	Azo.
Plutarchus.	Accursius.
Seneca.	Cynus.
Strabo.	Dynus.
Hipocrates.	Io. Fasiolus.
Galenus.	Angelus.
Plinius.	Bartholus.
Solinus.	Baldus.
Macrobius.	Paulus de Castro.
Quintilianus.	Oldradus.
Budaus.	Salicetus.
Pet. Crinitus.	Io: de platea.
Erasmus Roter.	Lucas de Pena.
IVRECONSULTI.	Ludouicus Rom.
Io. Andrea.	Præposit. Alexan.
Archidiaconus.	Aluarotus.
Innocentius.	Andre: de Isernia.
Speculator.	Alexander.
Abb: Panormita.	Iason.
Felinus.	Bertachius.
Dom. de S. Gemi.	Hippol. de Marf.
Philip. de frâchis.	Petrus Rauennas.
Zabarella.	Decisiões cappel.
A. Barbacia.	Tholosana.

M. An

M. Antonius Ba	T. Lilius.
nerius.	Cornel. Tacitus.
Alciatus.	Salustius.
Soccinus.	Cæsar.
Decius.	Plinius.
HISTORICI.	Suetonius.
Eusebius.	Fenestella.
Tripartita.	Q. Curtius.
Theoderitus.	A. Gellius.
Iosephus.	L. Florus.
Egesippus.	Val. Maximus.
Thucydides.	Iustinus.
Herodotus.	Ael: Spartianus.
Herodianus.	Lampridius.
Appianus.	Iul. Capitolinus.
Dionysius.	Fi: Vopiscus.
Hallicarnasseus.	Sex. Aur. Victor.
Plutarchus.	Eutropius.
Diodor. Siculus.	Paulus Orosius.
Philostratus.	Paulus Diaconus.
Dioge. Laertius.	Iornandes.
Procopius.	Platvna.
Arrianus.	Abb: Vrspergen.
Ruffinus.	Otto Frisingensis.
Nicephorus.	Anto. Sabellicus.

B ij Petrus

Petrus Martyr.	POETAE.
Annonius Mo-	Homerus.
nachus.	Virgilius.
Agathius.	Plautus.
Antonius Boni-	Terentius.
finius.	Ouidius.
	Horatius.

DE LEGA- TIONIBVS LIBER

II. D. CONRADI BRVNI IV-
reconsulti. De iustitia Le-
gatorum. Cap.
IX.



Ost scientiã se-
quitur, ut de uir-
tute morali dica-
mus: quæ fuit al-
tera illa quali-
tas, quam in Le-
gato consyderandã esse supra
admo-

DE IVSTITIA LEGA. CAP. IX.

admonuimus. Neq; enim satis vt Legatus sit uir bonus.
est, doctum, prudentem, exper-
tum, & dicendi facultate prædi-
tum esse Legatũ, sed in eo ani-
mi quoq; uirtutes exigimus, ut
sit idẽ iustus, fortis, temperans,
& (ut uno uerbo dicam) uir bo-
nus. Nam qui prauus est, quan-
to magis scientia, & multarum
rerum cognitione, & experien-
tia excellit: tanto magis inge-
nio fretus, malicia in omnibus
tam priuatis quam publicis a-
ctionibus nocere potest.

¶ Est autem uirtus (ut Ci- Cic. Lib. 2
de inuen-
tione.
Partes uir-
tutis Mora-
ralis.
cero diffinit) animi habitus na-
turæ moderationi consentane-
us, siue quo honesta facimus,
turpia uitamus. Cicero huius
partes quatuor constituit, Pru-
dentiam,

B iij dentiam,

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.
dentiã, Fortitudinẽ, Iustitiam,
& Temperantiam. Aristoteles
autem uirtutem in moralem &
intellectualem diuidit, & Pru-
dentiam: sicut scientiam & ar-
tem: sub intellectuã uirtute cõ-
prehendit. Quamobrẽ & nos
eam scientiã coniunximus, &
partẽ intellectuã uirtutis, non
moralis, (de qua hic loquimur)
fecimus.

Aristo. li.
6. Eth: c. 1.
& 2.
Iustitia u-
niuersalis
seu legiti-
ma quid
est.

¶ Primum igitur de iusti-
tia dicendum est. Hanc Cicero
diffinit esse habitum, qui com-
muni utilitate seruata, suã cuiq;
tribuat dignitatem. Aristo: duo
genera iustitiã constituit, Alte-
ram iustitiam totam siue uniu-
ersalem, Alteram particularem.
Vniuersalis est per quam legi-
bus

DE IUSTITIA LEGA. CAP. IX.
bus obedimus, unde & legiti-
ma dicitur. Leges de comuni
hominum societate conseruan-
da, de mutuis inter se officijs
præstandis, de utilitatibus com-
municandis, & breuiter de om-
nium uirtutum honestis actio-
nibus præcipiunt. Et hæc supe-
riorum est & inferiorum, maxi-
me autem eorum qui magistra-
tus & munera publica gerunt:
quorum officium est, nõ solum
legibus obedire, sed etiam cas
pro uiribus tueri. Ac propterea
legitime iustitiã opera sunt, san-
ctas et honestas leges condere,
conditas definire, definitas exe-
qui curare, et omnium actiones
ad communem utilitatem re-
ferre.

B iij Leges

*Partes legi-
gitime iu-
stitie.* ¶ Leges uel à natura du-
cuntur, uel consuetudine indu-
cuntur, uel scripto proponun-
tur. Quæ à natura profectæ
sunt, ius naturale appellantur:
& est, quod non opinio genuit
sed quædã innata uis asseruit.
Religio. Huius iuris sunt, Religio, quæ
earum rerū est, quæ ad cultum
Pietas. et honorem Dei pertinent. Pie-
tas, per quam patriæ, parenti-
bus, & sanguine coniunctis of-
ficium & diligentem cultum tri-
Gratia. buimus. Gratia, qua de nobis
bene meritos remuneramus, &
benefacientibus benefacimus.
*vindica-
tio.* Vindicatio, qua uim ui repellē-
tes, nos nostraq; uindicamus et
*Observan-
tia.* defendimus. Observantia, qua
homines aliqua dignitate præ-
cellentes

cellentes honore dignamur. Et
Veritas, qua ea quæ sunt, aut *Veritas.*
fuerunt, aut futura sunt, immu-
rata dicuntur. Et ex hoc iure, ius *L. ex hoc
iure ff. de
iust. & iu-
re.*
gentiū deriuatur: quod fit, cum
id quod leniter à natura tra-
ctum est, maius facit usus, & ue-
lut communis gentium appro-
batio. Huius iuris sunt, bella, ser-
uitutes, quæ à uindicatione tra-
huntur: ut fidem atq; pacta ser-
uemus, unde et contractus pro-
ueniunt, quæ à ueritate ducun-
tur.

¶ Quæ autem uel consue-
tudine inducta, uel in scripto ut
seruentur proposita sunt, quia
ut posita sunt, ita mutari pos-
sunt, ius positiuū dicuntur (Ci-
cero legem appellat:) quæ ta-
*Ius positi-
uum.*
B v men

c. erit autem lex 4 dist.

men & ipsa a iustitiæ naturalis & uniuersalis præceptis deriuantur. Nam non est lex quæ non eadem sit honesta, iusta, possibilis, secundum naturam, & secundum consuetudinẽ patriæ, loco temporisq; conueniens, necessaria & utilis, manifesta quoq; ne aliquid per obscuritatem incautum captione contineat, nullo priuato commodo, sed pro communi utilitate ciuium conscripta.

Quid est iustitia particularis.

¶ Iustitia particularis uirtus est, quæ æquitate seruata unicuiq; tribuit quod suum est. Id autem fit in distributionibus honorum, præmiorum, pecuniarum, pœnarum: & commutationibus rerũ, propter quod &

& Aristo: huius iustitiæ duas partes facit, Distributiua, quæ circa distributiones: & Commutatiua, quæ circa contractus uersatur, tam earum rerũ, quæ sponte: quam quæ clam & cum inuitis geruntur, ut furtum, adulterium.

Aristo: li. 5, Eth, c. 2.

¶ Hac igitur uirtute etiam eos, qui legatione funguntur, præditos esse oportet, & illius præcepta in suscepto munere diligenter custodire, id est, leges omnes tam diuinas & naturales, quam humanas et positiuas seruare. Est autem primum & præcipuum iustitiæ præceptum, ut Deum colant & timeant, & à Deo omnes actiones auspiciantur, in Deum referant, & in Deo

Legatis necessaria est iustitia.

Primum iustitiæ præceptum pro Legatis.

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.
Deo finiant. Quod & Christus
præcepit.

Matth. 6.
Coloss. 3. ¶ Primum, inquit, quæri-
te Regnum Dei. Et Apostolus
Paulus, onine quodcunq; faci-
tis in uerbo aut in opere, omnia
in nomine Domini nostri Iesu
Christi facite, gratias agentes
Deo & patri per ipsum. Et gen-
tilibus etiã in usu fuit, ut rerum
agendarum initium à precatio-
nibus caperent, quod nihil sine
Deorum ope, consilio, & hono-
re auspiciandum esse censerent.

Heretici
nō debent
esse Lega-
ti. Ac proinde à Legationibus re-
mouemus impios, hæreticos, &
schismaticos, & omnes qui Dei
nomen & doctrinam blasphe-
mant. Qui enim in Deum ini-
qui sunt, quomodo hominibus
quæ

DE IVSTITIA LEGA. CAP. IX.
quæ sunt iusta præstabunt:

¶ Secundum præceptum *Legatos*
est, ut & honestè uiuat, & in su- *honestè*
scepta Legatione honestè uer- *uite esse*
setur. Nam ut doctus sit & pru- *oportet.*
dens legatus: Tamē plurimum
illius authoritati, si qua turpitu-
do uitæ illi possit obijci, detra-
hitur. In quo genere Demosthe-
nes, aduersus Aeschinem, et alij
contra alios laborant. Omnium
autem maxime, qui in sacris Le-
gationibus uersantur, studere
debent, ut eorum doctrinæ ipsa
etiam uita respondeat. Nemo
enim in Ecclesia Dei amplius
nocet, (ut ait Canon) quã qui *c. Nemo*
peruersè agens nomen sacerdo *83. dist.*
tis habet, hoc est, eius qui Dei *2. Cor. 5.*
legatione in terris fungitur. Et
Domi-

D. BRVNI DE LEGA. LIB. II.

Ezech. 2. Dominus missurus Prophetā, primo iussit ut staret super pedes suos, id est, ad bona opera surgeret, deinde iam stanti dixit. Fili hominis mitto ego te ad filios Israēl, ad gentes Apostatrices quæ recesserunt à me.

*Legati ne mini faci-
ant iniu-
riam.* ¶ Tertium præceptum est, ut neminem iniuste lædat. Iniuste autem lædunt qui alios iniuria afficiunt. Iniuria fit quicquid non iure fit, ut conuitia, calumniæ, iniustæ & calumniosæ accusationes, damna iniuste allata, furta, rapinæ, iniustæ captiuitates, pulsationes, homicidia, &

*Peccarunt etiam Ro.
Legati.* quæ sunt generis eiusdem. Itaque in hoc præceptum commiserunt Ro: Legati, qui apud Antiochum Regem, per spem inuendæ

DE IUSTITIA LEGA. CAP. IX.

dæ amicitia Hannibalem falsè criminati sunt. Item alij qui ad Carthaginenses sub prætextu dirimendarū controuersiarum inter Masinissam Regem &

ipso missi, in occultis mandatis habuerant, ut uelut accusatores calumniam in Hannibalem curarent, ac nomen eius deferrēt. Similiter Philippi Regis Legati è Roma redeuntes, qui falsis literis adulterino signo T. Quintij signatis, quibus Demetrius filius, tanquam regnum uiuente patre ambiret, deferebatur, Philippo redditis id effecerunt, ut paulò post filium clam interfici mandaret.

Pleminius item Romanorum Legatus, cuius rapinas, spolia, stupra

*T. Linius
lib. 3. de
bell. Ma-
ced. et Asia
stat.*

*T. Linius
de bello
Maced. et
Asiat. lib.
10.*

*T. Linius
lib. 9. Se-
cundi belli
Punici.*

stupra matronarum, raptus uirginum, sacrilegia, aliaq; multa scelera in Locrenses admissa, eorum Legati coram Ro: Senatu exposuerunt.

Veraces oportet seruare fidem et pacta. ¶ Quartum præceptum est, ut in omnibus dictis factisq; sint ueraces, fidemq; & pacta diligenter seruent. Est enim (ut Cicero inquit) præcipuum iustitiæ fundamentum, fides, id est dictorum conuentorumq; constantia & ueritas: quam qui uiolant, non immerito iniusti appellantur. Sanitas est, inquit sapiens, fidelis Legatus, & sicut frigus niuis in die messis, qui misit illum, animam eius requiescere facit. Qui uero negocia sua credit infideli, in multa pericula

Proverb. 25.

DE IUSTITIA LEGA, CAP. IX.
cula incidat necesse est, iuxta illud eiusdem sapientis. Dens pu tridus & pes lapsus, qui sperat super infideli in die angustia.

¶ In hoc igitur præceptum *Qui sunt legati mendaces.* peccant mendaces, a quibus maxime cauendum est. Nam (ut Sapiens ait) potior est fur, quã assiduitas mendacis. Ac primum quidem inter mendaces numerantur, qui cum missi non sint, tamen Legationem mentiuntur. Quales sunt hæretici omnes, qui se à Deo ad prædicandū missos mentiuntur. *Cicero in oratore optimo.* Huius criminis Demosthenes Aeschinē insimulat, contra quem orationē falsæ Legationis scripsit. Et M. Cicero Heraclidam *In oratione pro Lucio Flacco* negat Legationē habere, quia non

C non

In oratione pro P. Sextio. non sit à ciuibus suis missus. Idē Pisoni obicit, quod Legatos non modo nullo Senatus consulto, sed etiam repugnante legauerit. Inter Legatos Philippi Regis ad Hannibalem missos, in Romana fortē præsidia illatos, eius Legationis Princeps Xenophanes mentitur, se à Rege suo ad amicitiam societatemq; cum populo Ro. iungendam missum, ac mandata habere ad Coss: Senatum, populumq; Romanum.

An mendacium excusari queat, quod apud hostes fit. ¶ Sed haud scio an inter mendaces, illos etiam numerem, qui ad euitandam uim & pericula hostium, se Legatos esse fingunt. Nam dolus an uirtus quis in hoste requirat? Quo sanē

sanē nomine fortasse Hannibal excusabitur, qui Romanorum insidias cuitare uolens in Ceroma Insula, ne nosceretur, Tyrium se Legatum à suis dici iussit. Haud diuerso consilio Legati Philippi Regis (de quibus paulo ante diximus) usi, per eorum Principem Xenophanem à Rege suo se ad amicitiam societatemq; cum populo Romano iungendā missos dixerunt, ac mandata ad Coss: Senatū, populumq; Ro: habere: Quod & his ipsis in præsenti non male celsit. Nam hostes pro hospitibus habiti, tuti, & abierunt, & ad castra Hannibalis peruenerunt. Veruntamen quia & amicitiam simulantes cum Roma-

T. Linius lib. 3. de bello Maced. & An. stat.

T. Linius lib. 3. Secundi belli Punici.

Mendaciam Xenophanis deprehensum.

D. BRUNI DE LEGA, LIB. II.
nis contraxerant, ac cum Han-
nibale postea societate iuncta,
Romanis fidem fefellerunt,
quam & hostibus seruare de-
buerunt, nihil est quod eiusmo-
di mendacium excusari possit.
Quod & euentus postea docu-
isse uidetur. Nam cum denuo
una cum Hannibalis Legatis
in manus Romanorū incidis-
sent, ac qui, & unde, & quo ten-
derēt cursum, interrogati, idem
demum mendaciū struxissent:
Xenophane respondente, se à
Philippo Rege ad Romanos
missum, ipsum sanè suosq; col-
legas, & alienus cultus, & ha-
bitus, & literæ Hannibalis ad
Philippum, & sermo punicus
prodidit; propter quod & ipsi
& co-

DE IVSTITIA LEGA. CAP. IX.
& eorum comites captiui Ro-
mam deportati sunt.

¶ Solent & nonnunquam <sup>Mendaci-
um officio
sum.</sup> Legati, cum sua mandata expo-
nunt, ueluti causæ suæ inserui-
entes mentiri: Quod Liuius li-
berum: nostri officiosum men-
dacium uocant. Cuiusmodi fu-
it, quo Dicearchus Aetholorū <sup>T. Liuius
lib. 5. de
bello Ma-
ced. et A-
siat.</sup> Legatus apud Antiochum Re-
gem usus est. Is enim quò ma-
gis Regis animum ad Roma-
num bellum commoueret, men-
titus est, & Nabim & Philippū
Reges, ad rebellandum Roma-
nis paratos esse. Sed nec tale
mendacium excusandum esse
puto. Nam et si uir bonus, non-
nunquam in defensione bonæ
causæ, iudici auferre ueritatem
possit.

Fab. li. 12.
orat. iust:
Plato lib.
3. de Re-
pub.

possit (ut Fabius inquit) & Plato Rempub: administrantibus ad communem ciuitatis utilitatem aliquando mentiri permittat: reliquis autem a mendacijs abstinendū esse præcipiat: Tamen eatenus id accipiendū esse puto, quatenus sine damno & fraude aliorum fiat, & ab honestatis regula non discedatur.

¶ Postremo in hoc genere iniustitiæ delinquent Legati, qui mandatorum suorum fines nō diligenter custodiūt. Quod planè faciunt, qui aut Legationem deserunt, aut negotia aliter quam mandatum est, gerunt. De quibus posthac cum de officio Legatorum agetur, latius dicemus.

DE

DE FORTI TVDINE ET CON- stantia Legatorum.

Cap. X.

Fortitudo est uirtus, quæ circa pericula uersatur. Quæ et Legatis sæpe cum obeunda sint, recte & Legatum uirum fortem esse oportere diximus.

Arist: eum fortem appellat, qui circa honestam mortem & omnia quæ repente eueniunt, interritus est. Non igitur circa omnia pericula, sed circa ea tantū quæ mortem afferunt, & eandem pulcherrimam, quam scilicet in bello nimirum pulcherrimo periculo oppetimus, uersari

Arist. lib.
3. Eth. ca.
6.

Qui proprie fortiter dicuntur.

C iij existit

D. BRVNI DE LEGA. LIB. II.
existimat. Qui autem metu op-
probriorum, quæ à legibus in-
feruntur, aut spe magnorū ho-
norum, aut experientia rei mili-
taris freti, aut ira perciti, aut ui-
ctorie spe, aut per ignorantiam
magna pericula impauidi ag-
grediuntur, hos similes quidem
fortibus, sed minimè fortes esse
contendit. Alij autem fortitudi-
nem circa quælibet magna, ea-
demq; honesta pericula, ac la-
bores uersari dicunt, ac proin-
de fortitudinem definiunt, esse
consyderatam periculorum sus-
ceptionem & laborum perpen-
sionem. Atq; huius partes con-
stituunt, fidentiã, patientiam,
& perseuerantiam. Eum autem
qui his rebus bene instructus
fuerit,

Cicero li.
2. de inuen-
tione.

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.
fuerit, fortem appellant.

¶ Atq; horum sententiam Quis Le-
gatorū re-
cte fortis
dicitur.
sequeuti nos quoq; fortem eum
Legatum appellamus, qui ma-
gnarum & excelsarum rerum
legationem suscipiens, eam am-
pla quadam & splendida ani-
mi propositione agit, atq; ad-
ministrat. Tum se confecturum
eam cum dignitate, multum in
se fiducia certa cum spe collo-
cat, nihilq; ob id periculorum
laborum ue refugit, sed animo
forti & inuicto æquè & prospe-
ra fert, & aduersa tolerat atq;
sustinet, & in proposito suo fir-
miter permanet atque perse-
uerat.

¶ Huius uirtutis officia præ-
stant, qui non uerentur ijs, qui
C v agrè

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.

ægrè etiam audiunt, quæ sunt uera dicere, nec si offendantur audientes formidare. Qualis inter Legatos, qui Alexandria missi fuerant, M. Aemilius fuit.

T. Lilius lib. 1. de bell. Maced. et Asiaticis.

Is inter collegas natus quidem minimus, non ueritus est, duorum aliorum consensu, Philippum Regem adire, atque illi, quod arma Attalo & Rhodijs intulisset, tum Abydenos etiam oppugnasset, opprobare: non ignorans id ægrè laturum Regem, quod & Regis responsio planè testata est. Aetas (inquit) & forma, & super omnia Romanum nomen te ferociorem facit.

¶ Q. Fabius Romanus: Legatus, unus ex ijs qui Carthaginenses missi

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.

missi sunt, ad percunctandos Carthaginenses, publicone consilio Hannibal Saguntum oppugnasset: & si id faterentur, populo Carthaginensi bellum indiceret: Leni quidem oratione quod mandatum erat percunctatus est, at ferociorem non solum sermone, sed etiam facto bellum indixit. Nam Pœno superbius respondente, quod pariturus animus uester, aliquando pariat: sinu ex toga facto, hic inquit uobis bellum & pacem portamus.

T. Lilius lib. 1. Secundi belli Punici.

¶ Non minore animi magnitudine atque constantia. Cn. Pompeius à Senatu Romano Legatus ad Antiochum missus, ut bello, quo Ptolomeum laceſſebat,

Lucius Flor. In epit. li. 45 Iustinus lib. 34.

absti-

D. ERVNI DE LEGA. LIB. II.
abstineret, mandata confecit.
Is enim cum Antiochus prom-
pto animo & amicissimo uultu
dexteram ei porrexisset, & (ut
Iustinus refert) osculum obtu-
lisset. (Nam coluerat inter cete-
ros P. Pompilium Antiochus
cum Romæ obses esset) facesse-
re interim priuatam amicitiam
iubet, cum mandata patriæ in-
tercedant, nec inuicem ei suam
porrigere uoluit, sed tabellas,
S. C. tenentes tradidit. Quas ut
legit Antiochus, dixit se cum
amicis colloquuturum: indigna-
tus Pompilius quod aliquam
moram interposuisset, uirga so-
lum quod insistebat, denotauit,
& prius (inquit) quam hoc cir-
culo excedas, da responsum,
quod

*Constan-
tis animi
Legatus
Cn. Pom-
pilius.*

*Senatus
Consultū.*

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.
quod Senatui referā, Adeoq;
hæc asperitas animum Regis
fregit, ut pariturum se Senatui
responderet. Certum profecto
constātis animi documentum,
sed quod uix temeritate careat,
qua sese periculo obnoxium fe-
cit. Nam in ea Legatione per-
emptus esse fertur. Cui & Sena-
tus (ut author est Plinius) Co-
lumnā in rostris statui iussit:
quanquam de C. Octauio hoc
refert Plinius: A quo tamē hoc
loco erratum esse Hermolaus
Barbārus testatur. *Plinius li.
34. ca. 6.*

¶ Huic confine est quod uni *Anto. Sa-
Legatorum ad Theucam Illy- bell. Ac-
riorum Reginam missorū acci- nea. 4. li.
dit. Hæc cum Legatis ipsis que 9.*
relas sociorum & uarias inu-
rias

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.
rias & prædas, quas ab Illyrijs
patrentur, exponentibus re-
spondisset, daturâ se operam,
ut nulla publice Romanis iniu-
ria fieret: ceterû prohibere suos,
quò minus priuatim fructum è
mari caperent (fecerat enim su-
is potestâ nauigandi marisq;
latrocinium in quoscunq; finiti-
morum exercendi) neq; regij id
moris esse, neq; se inhibituram.
Tû ex Legatis minor nati, for-
titer quidē, sed parum tempesti-
uè, & nō sine periculo: At quo-
niâ, inquit, Romanis ô Theuca
optimus mos est, priuatas iniu-
rias publice ulciscēdi, iuuandiq;
iniuriâ affectos, dabimus operâ
dijs uolentibus, ut uel inuita re-
giam istam consuetudinē emen-
des.

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.
des. Tam feroci responso eo ira-
cundiâ, cuius ille sexus impati-
ens est, processit Theucas, ut iu-
re gentiû neglecto miserit, qui
Legatos à se dimissos adorti, iu-
niorem obtruncarent.

¶ Considerandum igitur *Cautela le-
erit ante omnia Legatis, à qui-
gatis con-
bus, & ad quos missi sint, & *syderâda,
ut pruden-
quo utriq; affecti sint animo: ut *ter sint for-
si qui eos miserunt formidabi-
tes.*
les sint ijs ad quos mittuntur,
tum ita affecti ut iniuriarum
tam sibi quâ Legatis illatarum
sint impatientes, easq; ulcisci-
iam parati, tum uerbis etiam
ferocioribus uti licebit, modo
ad tuendam dignitatem do-
minorum suorum, non ad alie-
nam iniuriam pertinentibus.
Sicut**

Suetonius
in Augu-
sto.

D. BRUNNI DE LEGA. LIB. II.
Sicut Cornelius Cēturio, Prin-
ceps Legationis ab Augusto
missæ, ut peterēt Augusto Con-
sulatum, interim admotis ad ur-
bem hostiliter legionibus, rete-
cto sagulo ostendens gladij ca-
pulum, non dubitavit in Curia
dicere, hic faciet si uos non fece-
ritis. Sin uero periculum sit, ne
irritent magis eos, apud quos
dicunt, ad conandum aliquid
in se atrocius: tum abstinendū
erit uerbis durioribus, & tali-
bus utendum, quibus nec offen-
dantur ipsi qui Legatos audi-
unt, nec dignitas & utilitas eo-
rū qui eos miserunt, negligatur.
¶ Fuit & Pompeij proba-
bilis fides & constātia, qui dum
Legationis officio fungeretur,
à Gentio

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.

à Gentio Rege interceptus, cū
Senatus consilia prodere iube-
retur, ardenti lucernæ admotū
digitum cremandum præbuit,
eacq; patientia Regi simul et de-
sperationem tormentis quic-
quam ex se cognoscendi excu-
sit, & expetendæ Po:Ro: amici-
tiæ magnam cupiditatem inge-
nerauit. Autor Val: Maximus.

Gentius
Rex Illyri-
corū, qui
postea fide
uiolata ui-
ctus et Ro-
mā in Tri-
umphū du-
ctus fuit,

Val. Max.
lib. 3. c. 3.

¶ Omnium autem maxime
in hoc genere uirtutis excellue-
runt, qui olim Legatione Dei
in terris functi sunt, Prophetæ
& Apostoli. Hi nimirum man-
data sua, & illa quidem nō ter-
rena sed cælestia, & rerum non
caducarum sed æternarum. Pri-
mum diuino spiritu, tum cer-
ta indubiāq; spe & fiducia agi-
tati,

Omnium
excellen-
tissimi Le-
gati fue-
runt Pro-
phete &
Apostoli.

boupe

D tati,

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.
tati, ac deinde nullis neq; iniu-
rijs neq; minis, neq; cruciatibus
quantumlibet horrendis, ac ne
morte quidem (cuius uaria ge-
nera perpessi sunt, ut gladium,
ignem, cruces, ferras, dilaniatio-
nes &c.) deterriti, forti & infra-
cto animo confecerunt, ac in su-
scepta Legatione etiam usq; ad
mortem, quã patientissimè tu-
lerunt, perseuerarunt.

*Exempla
intrepidæ
constantie* ¶ Nam ut inter multa uel
aliqua huius rei testimonia affe-
ram. Magni certè & fortissimi,
certa q; spe confidentis animi
uox est, quam à socijs Danielis
audiuit Rex Nabuchodono-
Daniel. 3. sor, Deus noster potest nos eri-
pere de camino ignis. Quòd si
noluerit, notum tibi sit, o Rex,
quòd

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.

quòd Deos tuos non colimus.
Item illa Stephani apud Iudæos. *Act. 7.*
Dura ceruice, & incircumcisi
corde & auribus, uos semper
spiritui Sancto resistitis. Et illa *Acto. 23.*
Pauli ad Principem Sacerdo-
tum. Percutiat te Deus, paries
dealbate. Item alia ad Elyman
Magum præfente Proconsule.
O plene omni dolo et omni fal- *Acto. 13.*
lacia fili Diaboli, inimice om-
nis iustitiæ: non desinis subuer-
tere uias Domini rectas. Item *Acto. 20.*
quòd idem dixit. Ecce ego alli-
gatus spiritu uado in Hierusa-
lem, quæ in ea uentura sunt mi-
hi ignorans, nisi quod Spiritus
S. per omnes ciuitates mihi pro-
testatur dicens, quoniam uin-
cula & tribulationes me Hiero-
D ij solymis

D. ERVNI DE LEGA. LIB. II.
solyimis manent: sed nihil ho-
rum uereor, nec facio animam
meam preciosiorem quam me,
dummodo ego consummē cur-
sum meum, & ministerium uer-
bi quod accepi a Domino Iesu,
testificari Euangelium gratiæ
Dei. Rursus magnum tum pa-
tientia tum in proposito firmi-
ter constantis animi testimoni-
um est, quod de Apostolis cæsis
Acto. 5. dicitur. Ibant gaudentes a con-
specu concilij, quoniam digni
habiti sunt affici cõtumelia pro
Act: 7. nomine Christi. Item quod Ste-
phanus cum lapidaretur dixit,
Domine ne statuas illis hoc pec-

Legatio catum.

Christi
omniū ex-
cellentissi-
ma. ¶ Hos autem omnes forti-
tudine & patientia superauit,
huius

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.
huius legationis Princeps, ser-
uator noster Christus, qui lega-
tione Dei patris fungens, post
innumeras iniurias et contume-
lias, obediens illi factus est us- *Phil. 2.*
que ad mortem, mortē autem
crucis. Qui & quod ipse fecit,
Apostolos suos ut imitarentur,
antequam ea (quæ dixi) passi
sunt, docuit. Nam apud Mat- *Matt. 10.*
thæum dicit. Non est discipulus
supra magistrum, nec seruus
supra dominum suum: sufficit
discipulo, ut sit sicut magister ei-
us, et seruo sicut dominus eius.
Si patrem familiās Beelzebub
uocauerunt, quanto magis do-
mesticos eius? Nihil enim oper-
tum est, quod non reueletur: &
occultum, quod non sciatur.
D iij Quod

D. BRVNI DE LEGA. LIB. II.

Quòd uobis dico in tenebris, di-
cite in lumine: & quòd in aure
auditis, prædicate super tecta,
Et nolite timere eos qui occidit
corpus, animã autem non pos-
sunt occidere, sed potius timete
eum qui potest & animã & cor-
pus perdere in gehennam &c.
Et paulò post. Nolite ergo time-
re. Omnis qui confitebitur me
coram hominibus, confitebor
& ego eum coram patre meo
qui in cælis est: qui autem nega-
uerit me coram hominibus, ne-
gabo & ego illum coram patre
meo qui in cælis est &c. Item
apud Iohannem. Non est ser-
uus maior Domino suo, si me
persequuti sunt, & uos perse-
quẽtur. Item. Venit hora ut om-
nis

Iohn. 15. 27.
16.

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.
nis qui interficit uos, arbitretur
se obsequiũ præstare Deo. Sed
hæc locutus sum uobis, ut cum
uenerit hora, eorum reminisca-
mini, quia ego dixi uobis.

¶ Omitto iam prudens in-
numera, quæ ex Ecclesiasticis Hi-
storijs de Sanctis Dei Martyri-
bus exẽpla afferre possem. Vi-
deorq; mihi paucis his, quæ enu-
merata sunt, satis qui imitentur
Legati Dei Episcopi & Sacer-
dotes, demonstrasse.

¶ Huius autem uirtutis præ-
cepta negligunt, qui ficta huma-
nitate & amicitia, blandis uer-
bis, magnificis promissis, ma-
gnarum rerum ostentata spe,
malorum iniecto timore, corru-
pti & decepti, uel semel obitam

D iij lega-

*Pecata
Legatorũ
cõtra con-
stantiam.*

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.
tionem deserunt, uel suscepta
mandata prætermittunt, aut re-
missius uel negligentius quam
ipsa causa postulat exequuntur.

Iohan. 6.

¶ Legationem deseruerunt
discipuli, qui recesserunt à Do-
mino & abierunt retro. Ma-
gnarum rerum speci ostentatio-
nem Legati Philippi Romam
missi, à Perseo filio corrupti, al-
terum filium Demetrium con-
tra mandatum prodiderunt.

*T. Linius
lib. 1. ab
urb. Con-
dit.*

Blandis autem uerbis decepti
Albanorū Legati ad Tullum
Regem, res petitarum: & si non
redderentur bellum indictum
missi: mandata sua remissius &
negligentius, quam ipsa causa
postulauit, exequuti sunt. Pri-
mum enim comiter & benigne
à Rege

FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.

à Rege excepti. Tum celebrato
conuiuio, etiam honorati, non
prius mandata Regi exponunt,
quam idem Rex per Legatos
Albanis res non reddentibus
bellum indixit. Deinde re iam
neglecta, & illis dicendi pote-
state facta, purgando tempus
terunt, ac se inuitos quicquam
quod minus placeat Tullo di-
cturos, sed Imperio subigi re-
stantur, ac uix tandem manda-
ta frigide exponentes, addunt,
res se petitarum uenisse, ni redde-
rentur, bellum indicere.

¶ Ficta autem amicitia tum
malarum rerum iniecto timore
Alcibiades Legatos Lacedæ-
moniorū circumuenit, & ne su-
scepta mandata exequerentur

D v effecit.

*Plutar-
chus in Al-
cibiade
Thucid.
lib. 5. belli
Pelopone-
saci.*

efficit. Libet historiam, quoniā pulchra est, adscribere. Hanc post Thucididem Plutarchus

Fraus Alcibiadis, qua Lacedæmoniorum Legatos circumuenit.

hoc modo narrat. Fœdere inter Athenienses & Lacedæmonios auctore Nicæa iuncto, maxime hanc gloriam Nicææ inuidebat Alcibiades. Igitur dum is contra Nicæam apud populum multa machinaretur, forte Lacedæmoniorum Legati Athenas uenerunt, gratos (uti ipsi dicebāt) ac beneuolos afferentes sermones. Vulgauerant enim se non modo confirmandi nuperrime istud fœdus, sed societatem etiam faciēdi (si Athenienses uelint) plenā potestatem habere. Primum igitur hi Oratores adeuntes Senatū, cum
grauis

grauissimis uerbis exposuissent mandata, sic benigna cunctis audientibus uisa sunt, ut magnam gratiam apud Senatores, qui frequentes eo die conuenerant, suæ Reipub: comparauerint. Metuens Alcibiades, ne eadem oratione auribus multitudinis blandientis, omnia sua consilia, multo tempore agitata, uno momēto peruerterent, argutam fallaciā machinatus, clam ad eos accessit: Commemoratisq; prius multis amicitiae causis, quæ sibi cum Lacedæmonijs intercedebant: Deinde, quid, inquit, uiri Spartiatæ, huius ciuitatis nostrorumq; hominum mores uestras aures latent? An ignoratis quantū in
ter

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.
ter Senatum populumq; Athe-
niensium interfit: hesterno die
cum tam frequenti Senatu tam
grata tamq; benigna exposui-
stis mandata, ex templo pru-
dentissimorū hominum men-
tes, quæ modesta oratione fa-
cile persuaderi solent, ut uestris
sermonibus acquiescerent com-
pulistis: nunc si id ad populum,
qui temeritate & insolētia qua-
dam loquentium uerba meti-
tur, eundem dicendi modum
seruabitis, in tantā superbiam
eorum animos efferctis, ut fru-
stra deinde à uobis, et ab ijs om-
nibus, qui uestræ causæ fauent,
laborandum esse uideatur. De-
inde adhortatur, ne populum
adeuntes sic alloquantur, ac si
mandata

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.
mandata libera ac cum omni
potestate permissa eorum arbi-
trio sint, ut coram Senatu pri-
die egerant, sed hanc amplissi-
mam authoritatem prudenti
consilio tegant, ut Senatū dein-
de populū, minime eorum uer-
bis elatum, in hanc societatem
perducere sine labore possit.
Postremo iureiurādo adactos,
ut omnia hæc silentio compri-
merent, dimisit. Postera die con-
gregata concione ueniētes La-
cedæmoniorum Legati amicis-
sime ab Alcibiade rogantur, ut
ea quæ uellent dicerent. Exem-
plo illi exposuerunt mandata
remissa sanè ac frigida, longèq;
ab ea expectatione populi, &
ea fama quæ uulgata erat alie-
na,

*Legati mi-
sere dece-
pti, ludi-
brio fue-
runt tam
Senatui
quam po-
pulo.*

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.
na, summam autoritatē quam
habebant regentes, ut Alcibia-
dis consilium sequerentur. Alci-
biades autem postquam illi fi-
nem dicendi fecerunt, non ut is
qui Legatos fefellisset, sed tan-
quam dolo fallaciaq; deceptus,
increpare eos cœpit, duplices,
fallaces, mutabiles appellans,
neq; sancti quicquam integriq;
quicquam in uerbis suis habent-
tes. Hinc populus, illinc Sena-
tus indignabatur, atq; hanc Le-
gatorum uarietatē quasi quan-
dam derisionem putabat.

¶ Quo sanè loco facillè in-
telligimus Legatos Lacedæmo-
niorum, si in sententia sua per-
seuerassent, & magnā sibi lau-
dem comparaturos, & utriq;
Reipub.

DE FOR. ET CON. LEGA, CAP. X.

Reipub. perennem inter se pa-
cem societatemq; stabilituros
fuisse. Quoniam autem nimis
creduli & inconstantes, à man-
datis suis abduci se passi sunt,
reiectis & ludibrio habitis ipsis,
magnum ex ea re bellum dein-
de exarsit.

¶ His igitur alijsq; huius *Ne incau-
ti et nimis
creduli
sint Lega-
ti.*
generis exemplis (quæ multa
quidem adhuc enumerare pos-
sem) admoniti Legati, omni-
um maxime prospiciant, qui-
bus credant, quos caueāt. Nam
habent & hodie Regū & Prin-
cipum aulæ suos impostores, in
hoc maxime doctos & compo-
sitos, ut aduenientes Legatos
uel blandis uerbis, uel magna-
rum rerū ostentata spe, uel ma-
larum

larum iniectione timore, sub specie
humanitatis deceptos, ab offi-
cio abducant, eorumque manda-
ta eludant: Idcirco Legatos non
quidem ab eorum congressio-
ne & colloquio prohibeo, leui-
tatem tantum & inconstantiam
damno. Audient quidem om-
nes, sed et omnes cauebunt, ne-
mini fident, neque cuique consilio-
rum suorum rationem temere
aperient. Quin et suspecta alio-
rum dicta atque facta, prudenter
eludent. Quod C. Fabricium fe-
cisse legimus: Is ut Pyrrhum Re-
gem Legatus, cum eidem Rex
seorsim blanditus, ut pecuniam
a se caperet, suassisset, non ob
aliquam turpem causam, sed ob
amicitiae & hospitalitatis indi-
cium,

C. Fabri-
cij Costan-
tia.

Plutar-
chus in
Pyrrho.

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.
cium, & renitente Fabricio, po-
stridie Elephantum maximum
post aulaeae, dum colloqueren-
tur, constitutum, subito ad ter-
rendum ipsum, tanquam qui
nunquam uidisset Elephantum,
produci iussisset, ac Elephas
proboscidem super caput extu-
lisset, & uocem terribilem emi-
sisset: tranquille conuersus, le-
uiterque arridens Fabricius re-
spondit: ne heri aurum, ne ho-
die Bestia permouit.

¶ Idem Fabricius constan-
tiam suam alio quoque exemplo
testatus est. Cum enim Pyrrhus,
Tarentinis aduersus Roma-
nos auxilium tulisset, & ad ip-
sum Legati de redimendis capti-
uis missi fuissent (inter quos &
Fabricius

Eutropius
lib. 2. Ro.
antiq.

Fabricius fuit fertur Regem sic admiratum esse Fabricium, ut cum pauperem eum cognouisset, non dubitarit, quarta parte regni promissa, eum, ut ad se transiret, sollicitare: Verum nec ista etiam quantumlibet maximæ spei ostentatione permotus Fabricius, à suscepto se officio abduci passus est.

*Iustus etiã
erga hostẽ
Fabricius.*

¶ Sed nec minus erga hostes etiam iustus, quam Romanis fidelis fuit: quam & ipsam Fabricij constantiam commendauit Pyrrhus. Nam cum medicus Pyrrhi ad Fabricium uenisset, promittens ueneno se Pyrrhum occisurum, si sibi aliquid polliceretur: Fabricius proditorum uinctum ad Regem reduci,

ci, eiq; quæ Medicus in caput eius spondidisset, dici iussit: Ad quod Rex admiratus dixisse fertur. Hic est Fabricius, qui difficilius ab honestate, quã Sol à cursu suo auerti potest. Testis Eutropius.

¶ Alij, Fabricium eam rem ad Senatum scripsisse, & Senatui per Legatos Pyrrhum ut sibi caueret admonuisse, alij, Consules, non Senatum, Legatos misisse, tradunt. Gellius horum omnium sententias in hunc modum narrat. Cum Pyrrhus, inquit, Rex in terra Italia esset, & unam atq; alteram pugnam prospere pugnasset, satisq; angerebantur Romani, & plerumq; Italia ad Regem descisisset: Tum

*Varietas
historico =
rũ de Pyr
rho & Fa
bricio.
Lib. 3.
noct. att.
c. 8.*

D. BRVNI DE LEGA. LIB. III
Ambraciensis quispiam Timochares., Regis Pyrrhi amicus, ad C. Fabricium Consulem fur-
tim uenit, ac præmium petiuit, & si de præmio conueniret, promisit Regem uenenis necare, idque facile esse factu dixit, quoniam filij sui pocula in conuiuio Regi ministrarēt: Eam rem Fabricius ad Senatum scripsit. Senatus Legatos ad Regem misit mandauitque, ut de Timochare nihil proderent, sed mone-
rent, ut Rex circumspectius ageret, atque à proximorum insidijs salutem tutaretur, hoc ita (uti diximus) in Valerij Antiatis historia scriptū est. Quadrigarius autem in libro Tertio, non Timocharem sed Niciam adijisse ad

DE FOR. ET CON. LEGA. CAP. X.
ad Consulem scripsit, neque Legatos à Senatu missos, sed à Consulibus, & Regem Populo Ro: laudes atque gratias scripsisse, captiuosque omnes, quos tum habuerit, restituisse & reddidisse.

¶ Consules tum fuerunt, C. Fabricius atque Aemilius. Tenor literarum Consulum ad Pyrrhum Regem.
Litteras, quas ad Regē Pyrrhum, super ea causa miserunt, Cl. Quadrigarius scripsit fuisse hoc exemplo. Consules Romani salutē dicunt Pyrrho Regi. Nos pro tuis iniurijs, continuo animo strenui commoti, inimiciter tecū bellare studemus: sed communis exempli & fidei ergo uisum est, uti te saluum uelimus, ut esset quē armis uincere pos-
E iij simus.

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.
simus. Ad nos uenit Nicias fami-
liaris tuus, qui sibi precium a
nobis peteret, si te clam interfe-
cisset: id nos negauimus uelle,
ne ue ob eam rem quicquam
commodi expectaret, & simul
uisum est, ut te certiorum face-
remus, ne (si quid eiusmodi ac-
cidisset) nostro consilio ciuita-
tes putarent factum, & quod
nobis non placet precio aut
premio aut dolo pu-
gnare.

DE

DE CON-
TINENTIA LEGA-
torum. Cap. XI.



Equitur ut de Tem-
perantia dicamus. Ea
est (ut Cicero definit) Cicero de
inuentione
lib. 2. rationis in libidine,
atque in alios non rectos impe-
tus animi firma & moderata
dominatio.

Philosophi duplicem ani-
morum uim esse dicunt, quarum Affectus
hominum in
appetitu. alteram in appetitu, alteram in
ratione ponunt.

In appetitu affectus sunt,
& horum quidam placiti & le-
ues, quos constantias uocant.
Quidam inquieti, turbulenti,
& rationi contrarii, quos Poë-

ta

D. BRUNI DE LEGA. LIB. II.

*Virgilius
libro 6.
Aeneidos.*

ta his uersibus exprimit.
Igneus est ollis uigor et caelestis
origo

Seminibus, quantum non no-
xia corpora tardant.

Terreniq; hebetant artus mo-
ribundaq; membra.

Hinc metuunt, cupiuntq; do-
lent, gaudentq; nec auras

Respiciunt, clausæ tenebris &
carcere caeco.

Appetitus igitur, & qui in eo
sunt affectus, hominem hue &

illuc rapiunt. Ratio autē, quid
faciendum fugiendumq; sit, ex-

planat. Itaq; fit, ut ratio praesit,
appetitus obtemperet. Virtus

*Quid tem-
perantia
seu conti-
nentia.*

autem, per quā in omni actio-
ne appetitus rationi subijcitur,
ne uel longius siue cupiendo si-
ue fu-

DE CONTI. LEGA. CAP. XI.

ue fugiendo, quam ratio sua-
det, uagetur: nec propter pigri-
tiam aut negligentiam rationem
deserat, temperantia uocatur.
Itaq; quod Cicero, definiendo
temperantiam, dixit, eam esse
dominationem rationis, eod perti-
net, ut intelligamus, rationem
dominam esse in regno anime.
Et quod addit, in libidinem ali-
osq; non rectos impetus, appe-
titum & affectus intelligit: In
hos enim dominatur ratio.

¶ Postremo quod adijcit
eam dominationem firmam esse
& moderatam, certum quendam
modum & ordinem in omni-
bus actionibus seruandum in-
telligit, ut nihil inconsulto, nihil
temere, nihil fortuito ac negli-

*seruare
modum et
decorum in
omnibus.*

F genter

D. BRVNI DE LEGA. LIB. II.
genter agamus, nec ad agendū
minorem maiorem'ue curam
& operam, quam causa postu-
lat, suscipiamus, & ut nihil eo-
rum, quæ ad liberalem speciem
actionis pertinent, quod de-
corum appellatur, intermitta-
mus.

C Habet autem hæc uirtus,
partes subiectas duas. Conti-
nentiam & Modestiam. Conti-
nentia, cupiditates & Beluinos
animi motus sedat, ut non deli-
cate & molliter: sed parce, ca-
ste, sobriè ac temperanter uiua-
mus. Modestia, ordinem, con-
stantiam, & moderationem in
omnibus dictis factisque seruat:
ut nihil temere, nihil inconsul-
to, nihil quod non deceat, aga-
mus:



